

quæ pertractat: sed eorum initia non extant, non se notabiliter inferunt intellectui. Obruta sunt spinis. Itaque per vices equidem advertis, rem novam illum inchoare, sed quæ, qualis, quomodo ea sit, non facile advertis. Ut, qui juxta viam offenderet in dumetum novum, in quo suspicatur quidem esse lapidem milliarem, sed quotus is, qualisque sit, animadvertere non potest, nisi dumis dejectis, absterfoque forte musco.

3. Videbor id comminisci tantum ex me. Sed qui Wolffium ipsum leget, eum dubitare res ipsa non permittet. Ne tamen iis, qui libro Wolffii destituti sunt, incerta loqui videar; quamquam prolixum id est, subeo tamen etiam hunc exscribendi laborem, & Paragraphorum flumen profundo, ita restrictum, itaque præcisus omnibus, ut parcam, quoad ejus fieri potest, tempori. Neque enim hic opus est singulorum paragraphorum contenta accurate exponere, multo minus demonstrationes addere. Sed eo hæc affero, ut lector periculum faciat, quomodo ex flumine hoc ipse possit methodicam aliquam divisionem elicere.

Chr. Wolffii Philosophiæ Practicæ Universalis

CAPUT I.

De Differentia actionum humanarum,

§. 12.

Actiones animæ & corporis naturales sunt determinatæ per essentiam: libera per voluntatem.

§. 13.

Volitiones & nolitiones sunt liberae.

§. 14.

Voluptates sensuum non pendent à voluntate.

§. 15.

Appetitiones sensitivæ non sunt liberae.

§. 16.

Sensationes sunt liberae, si libere volitæ.

§. 17.

Necessariæ sunt, si non volitæ.

§. 18.

Directio attentionis est libera si volita.

§. 19.

§. 19.

Visio est libera si volita.

§. 20.

Imaginatio est libera si volita.

§. 21.

Imaginatio est libera si volita.

§. 22.

Reproductio phantasmatis libere capti libera est.

§. 23.

Memoratio libera est si volita.

§. 24.

Actio positiva est actu edita: Privativa est cessatio &c.

§. 25.

Oblivio est libera si volita.

§. 26.

Neglectus imaginationis & memorationis est liber si est volitus.

§. 27.

Ignorantia est absentia notio- nis.

§. 28.

Ignorantia vincibilis evitari, non autem invincibilis potest.

§. 29.

Ignorantia vincibilis in casu libera est.

§. 30.

Error vincibilis vitari potest, non invincibilis.

§. 31.

Error vincibilis est liber in casu.

§. 32.

Intellectio est libera si volita.

§. 33.

Per liberum exercitium acquisita libera sunt.

§. 34.

Omissio ex liberi exercitii neglectu sequens libera est.

§. 35.

Actus ex habitu libere acquisito liberi sunt.

§. 36.

Omissio ex defectu habitus libere neglecti libera est.

§. 37.

Omissio ex defectu habitus libere amissi libera est.

§. 38.

Nolitio & aversatio sensitiva est actio positiva.

§. 39.

Omissio nolitionis ob ignorantiam vincibilem libera.

§. 40.

Omissio aversationis sensitivæ ob errorem vincibilem libera est.

§. 41.

Appetitio sensitiva ob ignorantiam vincibilem libera est.

L

§. 42.

§. 42.

Si voluptas major est ob plures ideas libere perceptas, augmentum hoc liberum est.

§. 43.

Idem de tædio.

§. 44.

Omissio ob defectum liberum attentionis libera est.

§. 45.

Si agens ideo agit, ut usum facultatum consequatur, usus in finem abit.

§. 46.

Usum facultatum sunt fines à DEO intenti.

§. 47.

Si ideo agitur, ut facultates usum consequantur, actiones liberæ per easdem rationes finales determinantur per quas naturales; & contra.

§. 48.

Actiones liberæ possunt determinari vel per easdem vel per diversas rationes &c.

§. 49.

Per easdem determinatæ ad perfectionem hominis tendunt, & contra.

§. 50.

Actiones liberæ ad perfectionem tendunt vel non.

§. 51.

Quædam tendunt ad perfectionem vel imperfectionem status externi.

§. 52.

Actiones tendentes ad perfectionem status nostri externi simul tendunt ad perfectionem nostri.

§. 53.

Actiones liberæ bonæ aut malæ sunt.

§. 54.

Actiones bonæ per easdem rationes finales determinantur, per quas naturales: & contra.

§. 55.

Actiones liberæ per easdem rationes finales &c. determinatæ, bonæ sunt; & contra.

§. 56.

Actio in se bona est, si ex sua specie demonstrari potest quod sit bona.

§. 57.

Bonitas intrinseca actionis est, quæ ei competit per suas determinationes essentielles & accidentales.

§. 58.

Actio in se mala est per determinationes essentielles.

§. 59.

Malitia intrinseca actionis est, quæ ei competit per determinationes essentielles & accidentales.

§. 60.

§. 60.

Actio per se indifferens per determinationes essentielles neque bona neque mala est.

§. 61.

Actio indifferens per accidens determinata ad nostram perfectionem in bonam abit.

§. 62.

Actiones per accidens in bonas abeuntes bonitatem intrinsecam habent.

§. 63.

Idem de Malis.

§. 64.

Actio Recta est, quæ rationem sufficientem in essentia & attributis hominis habet.

§. 65.

Rectitudo est convenientia cum omnibus determinationibus hominis essentialibus.

§. 66.

Facultas locomotiva est potentia movendi corpus localiter.

§. 67.

Motus corporis liberi sunt qui voliti.

§. 68.

Motus liberi sunt actiones liberæ.

§. 69.

Cessatio motus libera est si volita.

§. 70.

Actio humana constat ex actionibus intellectus, voluntatis & facultatis locomotivæ.

§. 71.

Notio actionis sufficienter determinata est, si habet determinationes, per quas demonstrari potest, an bona an mala sit.

§. 72.

Ad actionem liberam requiritur ut iudicium de bonitate vel malitia ejus verum sit &c.

§. 73.

Ad actionem liberam requiritur ut sit bona & voluntas per bonitatem moveatur &c.

§. 74.

Idem de Noluntate &c.

§. 75.

Si quid perfectivum ideo habetur pro bono, quod voluptates sensuum creet, bonum verum spectatur ut apparens.

§. 76.

Si imperfectivum &c. &c.

§. 77.

Actio libera completa est, si omnes motus prompte producuntur.

§. 78.

Actio, cui quid deest ex parte alicujus facultatis, eidem facultati contradicit.

§. 79.

In actione recta nihil desiderari debet.

§. 80.

Ad actionem rectam requiritur notio determinata: iudicium verum de bonitate: volitio &c.

§. 81.

Si quid actioni deest, in eo defectus rectitudinis consistit.

§. 82.

Syllogismus definitivus est deductio iudicii de bonitate actionis, ope principii generalis.

§. 83.

In hoc propositio *minor* enuntiat, qualis sit actio hæc singularis: *major* est Principium generale: *conclusio* est iudicium de bonitate hujus actionis.

§. 84.

Ex notione insufficienter determinata iudicium verum nequit inferri.

§. 85.

Ex notione determinata collectum iudicium ope principii falsi falsum est.

§. 86.

Iudicium casu verum est, si ex præmissis non sequitur.

§. 87.

Iudicium casu verum est, si verum est etsi ex falso principio ductum.

§. 88.

Determinatio voluntatis ab intellectu dependet.

§. 89.

Rectitudo actionis quoad voluntatem à rectitudine intellectus dependet.

§. 90.

Ad notionem actionis sufficienter determinandam concurrunt sensus, imaginatio, memoria.

§. 91.

Ad iudicium verum de bonitate &c. imaginatio & memoria concurrunt.

§. 92.

Si appetitus sensitivus cum rationali consentit, ad actionem humanam rectam concurrunt.

§. 93.

Si averfatio sensitiva cum rationali consentit, ad actionem humanam rectam concurrunt.

§. 94.

Per se appetibile dicitur, quod tale est, ut distincte cognitum appetatur.

§. 95.

§. 95.

Per se averfabile contra &c.

§. 96.

Actiones in se bonæ sunt per se appetibiles.

§. 97.

Actiones in se malæ per se averfabiles.

§. 98.

Actiones indifferentes nec appetibiles nec &c.

§. 99.

Actiones intrinsece bonæ per se appetibiles.

§. 100.

Actiones intrinsece malæ per se averfabiles &c.

Ex his colligat vestigia certa & constantia Wolffianæ methodi, qui volet, aut aliquod aliud argumentum hoc eodem modo & ordine pertractandum suscipiat; nec ei hunc laborem invidemus. Cetera vero, quæ hæc sequuntur longe sunt implexiora & magis variegata.

CONCLUSIO.

1. Differenti mihi non ita pridem de methodo Wolffiana, institit nonnemo: Negari

non posse, quin ea methodus ad multa facile scribendum sit apta.

2. Huic ego reposui, ad multa facile scribendum consultissimum esse, methodo nulla uti. Arrepto enim calamo scribe, quidquid in buccam venerit. Scribes hoc modo *facile*, non designatis prius vestigiis gradiens, quod & à somnolentis fieri potest. Scribes adhæc etiam *multa*; quemadmodum enim ignis nunquam dicit sufficit, ita hominis memorandi, imaginandi & ideas suggerendi vis perpetuo effervet & irrequieta. Quæ fere causa est, cur feminae puerique *facile* garriant *plurima*. Sed ut in ordinem illa cogantur ceteris quoque facilem, securum & constantem, ut superflua & luxuriantia recidantur, hoc opus hic labor est.

3. Idem, ac perdoctus sane vir, ex hoc laudabat methodum Wolffianam, quod hæc adhibita ad ea nonnunquam deveniatur, quæ primum ne cogitaveras quidem. Neque hoc inficior ego, sed hoc ajo accidere his etiam, qui labyrinthos ingrediuntur; ad ea enim delabuntur, quæ nunquam præceperant animo.

4. Quin hæc ego diatribe ostensum ivi, eos, qui Philosophiam

practicam Universalem Wolffii de-
currunt adeo viæ ignaros esse, ut
post aliquos paragraphos semper
incidant in imprævisa, idemque
illis contingat, quod per avia &
invia, aut certe per viam igno-
tam ambulantis.

5. Ad hæc illud quoque non
inficior, ope hujus methodi lecto-
rem nonnumquam imprudentem
deduci ad ea, quæ non sperave-
rat. Ut ad Atheismum, Indiffe-
rentismum, ad mendacii concef-
sionem & alia scæda.

Idque ideo fit, quia quicumque
sunt *posteriores* paragraphi, ii ven-
duntur *pro demonstratis* per *prio-
res*. Cum itaque ad posteriorem
aliquam propositionem utut fal-
sam pervenisti, deciperis infalli-
bilitate demonstrationum mox in
vestibulo promissa, sicque incau-
tus reti turpiter hæres. Id illis
tantum contingit, qui aut Logi-
ces sunt minus periti, ut non ani-
madvertunt demonstrationum ita
dictarum perpetua sophismata;
aut iis, quibus tempus pretiosius
est, quam ut per gyros à Wolffio
indicatos usque redeuntes vesti-
giorum ejus incertitudinem &
fallacias explorent; aut iis deni-
que, qui non aliunde quam ex
Wolffio quæ recta, bona, justa-

que sunt firmis & apud sanum
mundum hætenus valentibus ra-
tionibus & auctoritate didicerunt.

6. Ceterum hanc Diatriben no-
lo cedere in contumeliam Illustris
Wolffii, cujus in Mathematicis &
quibusdam Physicis labores plu-
rimi facio. Quoniam autem di-
dici experientia, multos esse, qui
methodo capti, tametsi non in-
tellecta, abripi se patiuntur ad
Deismum, Indifferentismum, &
curam hujus vitæ tantum, aut ad
jus cerebrinum, quo sibi met regu-
la esse volunt spretis legibus
omnibus, mea interesse duxi te-
nuem conferre symbolam, ut pe-
stis illa detegatur & ulcus. Ne-
que existimo, Wolffium hoc vo-
luisse: neque omnino propugno,
ipsam Wolffii doctrinam in fundo
hoc continere: sed cum ejus do-
ctrina, ut ab his scopulis immunis
sit, multa explicatione & contra-
dictionum resolutione egeat, quæ
non omnibus in promptu est, æque
periculosa est ac æstuarium ma-
ritimum, quod in superficie, qui-
dem planum apparet, subtus au-
tem fyrtes & cautes habet, qui-
bus non nisi remotis exhaustisque
possis enavigare.

7. Tam igitur ex Wolffii, quam
Puffendorffii ac multorum alio-
rum

rum vano incautoque Juris natu-
ræ studio ac lectione crediderim
natos illos HONESTOS PUE-
ROS, qui cum antea pauci &
absconditi essent, nunc incipiunt
fieri impudentiores, palamque
profiteri se legibus & præceptis
non indigere, DEUM credere
nescio quem, ceterum esse *honestos
homines Ehrliche Kerl*. Duo
igitur proposita habebam: In *Lar-
va detracta* ostendere maxime vo-
lui Doctrinas Juris naturæ per-
verfas, in quibus incunabula ac-
cepere *honesti illi homines*. In hac
vero *Diatribè* volui ostendere
Wolffium, quem methodi prin-
cipem novorum studiosi suspici-
unt, ne methodo quidem tradere
ea quæ *honestorum hominum* semi-
na sunt. Si obtinui, recte ha-
bet. Sin minus, *Auledus sim, qui
citharædus esse non potui*.

8. Non possum quin exhibeam
spectaculum, quod de *Methodo
scientifica* sic dicta nuper edidit
nobis D. CHLADENIUS Profef-
sor Eloquentiæ ac Poëseos in
Universitate Erlangiana, & Theo-
logiæ doctor. Is censens ac re-
censens tractatum de *Gratia ætua-
li & habituali*, editum à D.
ROTHFISCHERO impense lau-
dat Auctorem, *quod is in ME-
THODO SCIENTIFICA, quan-*

*tum hæc consistit in ordine doctrine,
PLANE FIRMUS sit, atque adeo
MULTO MAJORE CLARI-
TATE unum ex alio deducere sciat,
quam unquam in Catholicorum tra-
ctatibus consuetum fuerit.*

9. Nihilominus contendit D.
Chladenius, auctorem methodo
scientifica ab usum fuisse ad de-
monstrandam doctrinam Catholi-
cam, quæ demonstratu sit impos-
sibilis. Propterea, inquit se co-
actum fuisse adversari Auctori.
Duabus maxime *urgentissimis* de
causis. Primo, ut veritatem tue-
retur. Deinde AD SALVAN-
DUM HONOREM METHO-
DI SCIENTIFICÆ. Dedecori
enim esse credit *Methodo scienti-
fica*, si Catholica doctrina eadem
methodo tradatur, tanquam hæc
methodus lux sit, Catholica vero
doctrina tenebræ, nihil vero lu-
ci ad tenebras.

10. Necessè est, D. Chladenium
in methodo scientifica (Wolffia-
nam illam semper intelligunt)
non esse hospitem, non tyronem,
non gregarium, sed veteranum
& principem; quia ipsius officio
incumbit adjudicare, an D. Roth-
fischerus, aut Catholici teneant,
intelligentque methodum hanc,
an rectè utantur? Rursus ipsius
offi-

officium est, honorem & existimationem Methodi scientificæ tutari, nequa parte attrectetur ab illotis, aut ne adhibeatur rebus non quidem quæ demonstratione indigent, sed iis saltem, quas ipse opinatur sibi non placere.

11. Libenter hanc laudem D. Chladenio permittimus, atque credimus, eum inter primos Methodi scientificæ Wolffianæ doctores nulli esse secundum.

Verum D. Rothfischerus quem tamen D. Chladenius ipse agnoscit in methodo scientifica plane firmum, dubitat non nihil, num recte D. Chladenius sibi iudicium de methodo scientifica usurpet? atque D. Chladenii auctoritas talem scientiam D. Rothfischeri ultro tribuentis, mihi persuadet, ut hunc recte dubitare crederem, tametsi de illius ingenio & doctrina non mihi constaret aliunde, ut constat certe.

12. Videatur de his rebus Tractatus D. Rothfischeri vernaculo idiomate scriptus, titulo: *Schreiben an den Hochwürdigsten, Hochedlgebornen Herrn H. Dominicus des berühmten und exemten Closters des H. Benedictiner Ordens zu Ober-*

altaich würdigsten Abben &c. Über die Beurteilung, welche Herr D. Chladenius den Erlangischen Anzeigen unlängst eingeruket hat, über eine Schrift De Gratia actuali & habituali, die bey S. Emmeram in Regensburg unter dem Voritze des P. Gregorius Rothfischers vertheidiget worden. 4. Ratisbonæ an. 1750. Vid. §. 1. & 2.

13. Causæ dubitandi D. Rothfischeri non sunt leves. Prima, quod D. Chladenius nesciat distinguere inter demonstrationem ipsam, & inter demonstrandi methodum. Qui defectus discretionis in iudice methodi haud dubie est magni momenti, & clare probat, D. Chladenium habere, confusam tantum ideam de Methodo scientifica.

14. Altera causa dubitandi D. Rothfischeri est, quia D. Chladenius ex multis paragraphis Rothfischerianis, recto ordine (quod Chladenius fatetur) positus & ex se pulcre fluentibus, non potuit invenire illum, qui ceterorum paragraphorum fundamentum & fons est, sed mansit tantum in diverticulo. Chladenius paragraphum 224. pro fundamento & fonte ceterorum positum fuisse existimat; at Rothfischerus fundamen-

damentum esse ait in §. 217. & 218. paragraphum autem ducentimum vigesimum quartum dicit esse tantum consectorium & diverticulum. Hic quoque defectus in D. Chladenio magnus est sane. Sicut enim, qui se dicit totius fluminis peritum, si nesciat unde defluat fons, male peritum se ostendit. Ita multo imperitior est methodi scientificæ, qui fundamentum non in fundamento sed in tecto quærit, quod Chladenius facit.

15. Tertia dubitandi D. Rothfischeri causa est, quod D. Chladenius peccet in PRIMAM regulam, observandam aliàs in dijudicatione scriptorum methodo demonstrativa traditorum: nempe Chladenius longe aliud fundamentum paragraphi Rothfischeriani 241. prodit, quam quale is revera posuerat.

16. Itaque Rothfischerus statuit, à D. Chladenio *prostitutam* fuisse *methodum* scientificam, atque sibi potius connitendum esse, ut honorem hujus methodi contra D. Chladenium tutetur.

17. Ego inter duos doctos viros & methodi scientificæ peritos neutiquam iudicium mihi arroga-

bo, qui in universum hanc methodum ex se omnino non scientificam esse, hac ipsa opella mea ostendere volui. Si tamen D. Rothfischeri sententiæ accessero, in re ancipiti, D. Chladenius vitio mihi vertere nequit; quippe ipsius D. Chladenii iudicio D. Rothfischerus in methodo scientifica plane firmus est; huic ergo in sua arte credendum est, iussu etiam D. Chladenii.

18. Spectaculum tamen non inutile D. Chladenius nobis edidit. Quippe non ignorantia methodi hoc tribuendum est in D. Chladenio, quem virum valde doctum suppono, & præcipue *methodi scientificæ* peritum. Neque rursus hoc tribuo Chladenii oscitantia, quod facere videtur Rothfischerus: Virum enim hunc, qui Erudita nova orbi docto exponere Erlangæ solet, qui alterius docti demonstrativam tam methodum quam scientiam corrigere instituit, crediderim omnia ex methodi lege examinasse: quod hoc facilius potuit, quia Rothfischerus ex præcepto methodi ipsemet ubique allegat paragraphos, in quibus fundamenta sua ponit.

19. Cui ergo demum rei adscribemus hanc duorum doctorum